

& praestantissimi Ecclesiae nostrae Doctores pacem, quam patentibus interdum ulnis, ut loquitur WERENFELSIUS, oblatam viderunt, inire noluerint, certum erit & confectum, alia & graviora impedimenta se objecisse; reposita in *rei ipsius gravitate*, de qua certatur, & a cujus defensione, sine summa conscientiae laesione, recedere quisquam minime potest. Non equidem miramur, Reformatos sagaciores una velut mente in id conspirare, ut profiteantur, *non agi de Articulo fundamentalis*, quoniam nullum nobis dubium, plures perspicere doctrinae veritatem. Quo magis sollicite vero hoc negotium curabunt, eo minus nostris vitio vertent, quod coelestem veritatem, quam in Majestate carni Christi concessa repositam vident, adeo non leviter habeant, sed pro ea ulterius tuenda operam & oleum, imo & ipsam vitam, profundant ac consumant. Non dissimulavit ipse BENEDICTVS PICTETVS in Dissert. Irenica C. IV. n. 8. *Dissensum circa Idiomata divina carni Christi communicata esse fundamentalem, si admitterentur consequentiae, quae ex hoc dogmate fluere videantur.* Enimvero, PICTETE! quid est fundamentum fidei explorare, quam conclusiones tentare, quae ex aliquo dogmate immediate & mediate promanant, & attente scrutari, quemnam habeant ingressum in fidem, mores & *παράκλησιν*, ad ipsamque *εὐθανασίαν* promovendam? Non enim sufficit excepisse, *nostrates nonnullos rejicere ubiuitatem.* Hoc non tranquillabit conscientiam in articulo mortis. Quales enim ubiuitas ab illis rejecta, & quomodo se CHEMNITIVS & ANDRAE in Formula Concordiae hic gesserint, cum ipse Allocutor Dubia formaverit in Instit. p. 397. alia vice ex instituto conficiemus. Sufficit nobis, placere confessionem PICTETI, Viri non postremi nominis & eruditionis, dissensum esse fundamentalem, si admittantur consequentiae, quae ex hoc dogmate fluere videntur. Si itaque per justam & idoneam consequentiam fluunt, aut concedenda conclusio erit, aut alterandae praemissae.

*Momen-*